

Causa I.
Phæn.

CONCLUSIO I. Cùm clepsydra in casu I. Phænom. sit aëre plena & supernè clausa, etiamfi aquis aliquousque immerfa fuerit, & hæ consequenter ipsum per inferiora fundi foramina urgeant; nihilominus, quia locum aër, quo exeat, non habet, nec in tantula aquarum profunditate multùm comprimi potest, utpote jam antè ab incumbente superioris sphæra validè compressus, non potest non aquarum irruptioni resistere & circa foramina consistens introitum ipsis denegare, simul autem hac ipsâ resistantiâ suâ & aquæ mutuâ difficultatem submersionis notabilem causari: prout hæc easdem rationes circa scyphum vitreum inversum & campanam urinatoriam pluribus deduximus Part. I. Colleg. Experim. Tentam. I. Conclus. I. IV. & V. præcipuè, & jam olim Aristoteles ipsas clarè rectèque satis reddidit Sect. XVI. Probl. 8. his verbis: Ὅρθῆς δ' εἰς τὸ ὕδωρ βαθεῖσθαι τῆς κλεψύδρας, ἢ δυνάμεν ὁρθῆν ὑποχωρεῖν, ἀλλὰ τὸ πεφράχθαι τὰ ἄνω, μένει καὶ τὰ πρῶτα τρυπήματα, ἀτλήσθαι γὰρ εἰς αὐτὸν ἔπέφυκε. h. e. *Rectè immersâ clepsydrâ non valens* (aër intellige, de quo antè locutus fuerat) *secundùm rectam* (aut perpendicularem lineam) *secedere, ideò quòd obseptâ sint superiora, manet circa prima foramina: in seipsum enim assilire aptus natus non est; rectè hæc, inquam, nisi quòd non tam ob perpendicularem præcisè abitum præclusum, quàm ob omnem simpliciter excessum denegatum, aërem manere dicendum fuisset, utpote qui pressus aliàs per obliquas quascunque vias erepere solet quàm promptissimè; & quòd ultima verba experientiae manifestæ, quæ aërem in se coïre valideque comprimi in parvas angustias posse docet, adversarentur, nisi restricta intelligantur ad casum minùs profundæ immersionis.*

CONCLUSIO II. Estque nunc in propatulo etiam ratio clepsydræ Heronianæ artificiosioris, quam num. IV. huius tentaminis descripsimus, & accessione geminâ perfici posse num. V. diximus; quod posterius quidem hoc modo obtineretur: Uterque canalis H F & K C [Fig. 27.] supernè esset